

potestas necessaria ad valorem ejus; ubi autem fuerit jurisdictio de justitia actus (ut sic dicam), erit prohibitus ne licite fiat, factus tamen validus erit. Sic peccabit parochus suspensus quaelibet sacramenta ministrando suis ovibus ut ordinarius pastor, et Episcopus suspensus conferendo Ordines suis subditis, quia non solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictio utitur; sicut peccaret dando alteri Episcopo licentiam ad ordinandum in suo Episcopatu, vel dando subdito licentiam ut ab alio ordinetur, quia hi sunt actus jurisdictio; nam multo magis exercet jurisdictio per se ordinando.

17. *De suspensione a parte jurisdictionis.* — At vero, quando suspensio non fertur simpliciter, sed cum determinatione certi actus, seu partis jurisdictionis, ut a collatione beneficiorum, cap. Gravis, de Præbendis, cap. unico, *Ne Sede vacante*, in 6, Clement. 4, § Si quis, de Statu monach.; a confirmatione Episcopi, cap. 2 de Translat. Episcop., cap. Provide, de Elect., in 6, et sæpe alias, ut videri potest Glossa in Clement. *Cupientes*, de Pœnis: tunc applicanda et servanda est regula posita, ut solum ab eo actu, seu parte jurisdictionis aliquis suspensus esse intelligatur, qui per verba determinantia suspensionem significatur, nisi fortasse habeat cum alio actu necessariam connexionem, ita ut sine illo fieri non possit; nam tunc ob eam causam etiam alius actus in tali suspensione comprehenditur. Quod eadem ratione in jurisdictione ac in Ordine procedit.

18. *Violatio suspensionis qualis culpa sit.* — Ex dictis sequitur sacerdotem sic suspensum partiali suspensione graviter peccare functionem illam spiritualem exercendo, a qua suspensus est, non vero aliam. Probatur prior pars, quia hæc etiam suspensio includit prohibitionem per legem seu præceptum Ecclesiæ, cujus materia ex suo genere gravis est; ergo ex genere suo illa transgressio est mortale peccatum; et quoad hoc eadem est ratio de suspensione totali, et partiali, cujus materia sit sufficienter gravis. Ratio vero alterius partis est, quia reliqui actus non contenti in tali suspensione non sunt prohibiti; ergo non est unde sit malum illos exercere; nam suspensio circa alios actus, cum non sit culpa, sed pœna, non facit indignum vel inhabilem ad alios actus, quantumvis sacros, exercendos, qui non sunt in ipsa suspensione comprehensi. An vero illi priores actus, qui contra suspensionem illicite fiunt, validi sint,

declaratum jam est, partim in proxime dictis, partim ex dictis de excommunicatione majori.

Quæ pœna dictæ culpæ respondeat.

19. *De pœna ob transgressionem suspensionis a jurisdictione.* — *De pœna ob violationem suspensionis ab Ordine.* — De pœna vero jure imposita propter hoc peccatum fungendi officio, a quo quis suspensus est, idem proportionaliter seu respective dicendum hic est, quod de suspensione totali ab officio diximus. Itaque, si suspensio sit a jurisdictione tantum, vel a quolibet actu jurisdictionis, nulla irregularitas, vel alia specialis pœna est in jure imposita propter ejus transgressionem, sed puniri debet arbitrio judicis, ut in aliis dictum est. Si vero suspensio sit ab Ordine, sive sit a toto Ordine, sive ab uno, vel alio, sive ab uno alicujus Ordinis, irregularitas incurritur Ordinem ex officio exercendo contra talem suspensionem respective. Ratio est, quia jura, quæ de hac irregularitate loquuntur, non tantum agunt de suspensione totali ab officio, vel ab Ordine, sed etiam de partiali; nec solum de simpliciter lata, sed etiam de ea, quæ fertur ad certum tempus. Ita sumitur ex cap. Is cui, de Sent. excom., in 6, ubi Glossa et Doctores id notant; sufficit ergo violatio talis suspensionis in aliqua parte ejus; ergo licet suspensio sit imposita in sola illa parte, si in illa violetur, id satis est ad talem irregularitatem incurrendam. Et ita Doctores agentes de hac irregularitate, nihil distinguunt inter suspensionem totalem, et partialem.

20. Præter hanc vero pœnam nullam aliam invenio propter hoc delictum ipso jure impositam. Solum in c. 2, 55 dist., præcipitur, ut qui suspensus ab altari Missas fecerit, *Ecclesiæ communionem privetur, et ab omnium fratrum communionem noverit se alienum.* Ubi videtur etiam imponi excommunicatio. Sed in primis illa pœna non est usu recepta in universa Ecclesia, et canon ille est Concilii Arelat. provincialis. Deinde dici potest, illa verba, *communione privetur*, non esse cen-

sura latae, sed ferendæ, et juxta illa esse intelligenda sequentia. Quod si dicatur, hæc verba non esse in originali, sed solum hæc: *Ab omnium fratrum charitate noverit se alienum*, responderi potest, per illa solum exaggerari gravitatem delicti, non novam censuram imponi. At obstant illa verba: *Ut severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ.* Propter quæ Glossa dicit, ibi imponi aliam pœnam, quia *si celebraverit post excommunicationem, deponetur.* Ubi et excommunicationem admittit juxta lectionem Gratiani, et addit depositionem; qui nomine fratrum intelligit Coepiscopos, a quorum gremio excluditur qui deponitur, per quam depositionem aliqui irregularitatem intelligunt. Sed hoc totum incertum est, et e converso certum est, aliam pœnam saltem ipso facto non esse in usu.

DISPUTATIO XXVII.

DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS A BENEFICIO.

Quoniam hæc species suspensionis diversa sit a præcedenti, tamen forma et modus illam ferendi ejusdem rationis est, et ideo applicando cum proportionem principia posita in disputatione præcedenti, facillimum erit intelligere, quæ ad effectus hujus suspensionis pertinent. Dupliciter igitur hæc suspensio, sicut præcedens, ferri potest, scilicet vel simpliciter, vel cum determinatione alicujus beneficii, vel partis ejus. De utraque ergo forma sigillatim dicemus, et explicabimus varios modos, quibus de his speciebus suspensionis jura loquuntur, in quorum intelligentia præcipua pars hujus doctrinæ posita est.

SECTIO I.

Quid sit suspensio a beneficio simpliciter lata, et quos effectus habeat.

1. *Ratio dubitandi.* — Quoniam in beneficio duo sunt: unum est functio aliqua spiritualis, ad quam beneficium obligare solet; aliud est temporale emolumentum, ad quod suscipiendum beneficium confert jus ex se perpetuum: dubitari imprimis potest, an suspensio a beneficio impediatur utrumque, vel alterum tantum. Et ratio dubitandi esse potest, quia ex illis duobus primum pertinet ad Ecclesiasticum officium; ergo, si hæc suspensio utrumque impedit, habebit hæc censura effectum utriusque suspensionis ab officio et beneficio, quod esse non potest, quia species hæc sunt

impermixtæ. Quæ ratio etiam probat suspensionem hanc non posse impedire tantum illud primum spirituale, quod in beneficio invenitur. Si autem solum secundum impedit, sequitur non esse hanc propriam censuram suspensionis, neque illi convenire definitionem suspensionis superius datam, quia non impedit aliquam Ecclesiasticam functionem; nam percipere fructus beneficii non est functio Ecclesiastica, sed stipendium illius.

2. *Suspensio a beneficio solum privat fructibus beneficii.* — Nihilominus dicendum est, effectum hujus suspensionis solum esse impedire dominum seu possessorem beneficii, ne uti possit jure illo percipiendi fructus Ecclesiasticos, quod habet ratione officii, et in quo ratio beneficii consistit. Hoc patet in primis ex communi sententia omnium, quos referemus. Deinde ex proprietate verborum juxta usum canonum, ad quam proprietatem verba hæc restringenda sunt, et limitanda, cum sit materia odiosa et pœnalis. Nam in jure beneficium contra officium distinguitur, quod patet maxime ex omnibus illis, quæ de hac censura loquuntur et supra citata sunt; hæc enim de causa distincte proponunt suspensionem ab officio, et a beneficio, et ab utroque simul. Nec solum hæc duo generatim sumpta, sed etiam prout conjunguntur in præbenda Ecclesiastica, quæ et aliquod ministerium habet, et proventus, distinguuntur, ut patet ex cap. finali de Rescript., in 6, ubi beneficium Ecclesiasticum propter officium dari dicitur, non ut propter aliud extrinsecum vel accidentarium, sed ad quod ipsa præbenda obligat; ergo ex his duobus, quæ in præbenda conjunguntur, beneficium proprie non est, nisi jus ipsum percipiendi fructus, quod ex officio nascitur seu propter officium collatum est. Unde Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 3 de Reform., beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda dicit esse constituta; ubi etiam distinguit beneficia ab Ecclesiasticis muneribus, quæ nomine officii significari solent. Igitur, cum a beneficio quispiam suspendi dicitur, in ea proprietate beneficium sumendum est; ergo effectus hujus suspensionis erit impedire hoc jus percipiendi fructus, ne in actum suum prodire possit. Probatur consequentia, nam per illam determinationem, *a beneficio*, ad ipsum suspensio limitatur, sicut dictum est de suspensione ab officio. Rursus hæc suspensio non tollit beneficium ipsum, ut receptum est et supra a nobis probatum.

Unde sic suspensus a beneficio, si nimium pertinax sit, vel nova crimina committat, solet beneficio privari, c. Cupientes, § Cæterum, de Elect., in 6, et in cap. Sicut, de Cohabitat. cleric. et mulierum, ubi contra Innocentium id notat Abbas, num. 4; ergo signum manifestum est per suspensionem solam non fuisse sublatum ipsum beneficium. Superest ergo, ut suspensio a beneficio impediatur solum jus beneficii, ne quis possit eo uti ad fructus recipiendos, ita ut nihil aliud sit a beneficio suspendi, quam fructus beneficii suos non facere. Atque ita docent Canonistæ in citatis juribus, et in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualit., ubi Abbas, n. 6.

Suspensionem a beneficio, officii usum non impedire.

3. *Rationi dubitandi in contrarium satisfit.*

— Atque hinc sequitur primo, suspensionem a beneficio præcise, sive addatur dictio exclusiva *tantum*, sive solum taceatur officium et omnis actus ejus, non operari suspensionem ab officio, nec impedire aliquem actum ejus, imo (quod amplius est) non tollere obligationem, quæ antea inerat, tale officium exercendi. Priorem partem docuit Glossa, in cap. Cum Vintoniensis, de Elect., verb. *Admiserant*; et Gloss., in cap. Cupientes, eodem titulo, in 6, verb. *Beneficiis*; quibus locis alii Doctores idem sentiunt. Et probatur ex dictis, quia nomine beneficii in rigore non significatur officium; sed in lege seu sententia pœnali nomen in rigore tantum sumendum est: ergo. Item quando suspensio ad beneficium determinatur, et taceatur officium, consequenter excluditur, quia censura non operatur, nisi quantum exprimitur, ut in superioribus dictum est, et omnia ibi adducta hic a fortiori procedunt. Ad rationem vero dubitandi, nimirum huic suspensioni non convenire definitionem suspensionis superius datam, quia non privat Ecclesiasticis functionibus, dicendum est, functionem Ecclesiasticam in ea definitione late sumi pro usu cujuscumque juris Ecclesiastici, ut in ipsa definitione declaratum est; hæc autem suspensio revera impedit usum juris beneficii, quod potestas quædam Ecclesiastica dici potest.

4. *Suspensio a beneficio non tollit obligationem officii.* — Posterior pars nonnullam habet majorem difficultatem, quia, cum beneficium detur propter officium, nemo videtur

ad officium obligari, nisi qui beneficio *fruitur*; si ergo aliquis per suspensionem privatur stipendio seu fructibus beneficii, non potest manere ad officium explendum obligatus; sicut, si beneficium aliquod Ecclesiasticum erigatur cum onere quotidie, v. gr., faciendi sacrum, et successu temporis res, in quibus fundatum est, pereant, vel infructuosæ reddantur, ita ut cessent fructus beneficii, consequenter etiam cessabit obligatio ad Missas dicendas; ergo similiter in præsentem. Nihilominus partem illam etiam docent Glossæ et Doctores citati; estque per se valde consentanea rationi, quia per suspensionem non aufertur beneficium, ut dictum est, sed tantum fructus beneficii; ergo, si beneficium secum affert obligationem alicujus officii, suspensio non tollit illam. Patet consequentia, quia illa obligatio intrinsece conjuncta est cum beneficio ipso, quod de se confert sufficiens stipendium seu sustentationem ratione talis muneris seu obligationis; quod autem suspensus non percipiat tales fructus, culpa ejus est; nam hoc in pœnam ei imponitur; ergo propterea non debet immunis fieri ab obligatione. Patet consequentia, tum quia (si ita loqui licet) ex parte beneficii seu fidelium jam sufficiens stipendium accepit; tum etiam quia ex culpa non debet reportare hoc commodum, ut obligatione liberetur in eorum incommodum, qui officiis seu actibus illius obligationis providerunt; tum etiam quia censura imponit onus, non tollit; alioqui levis pœna esset, si tollendo commodum, tolleretur etiam onus; ratio ergo hujus pœnæ in hoc posita est, quod tollat præcise emolumentum temporale, relinquendo integram muneris obligationem.

5. *Rationi in contrarium satisfit.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Ac propterea non procedit ratio in contrarium facta, quia, licet detur beneficium propter officium, tamen in pœnam potest quis privari emolumento beneficii, et quia non privatur titulo beneficii, relinqui cum obligatione ipsi beneficio annexa. Sicut enim, postquam aliquis expleta obligatione beneficii fecit fructus suos, potest nihilominus in pœnam illis privari, licet propter officium illos acceperit, ita etiam potest quasi præveniri et puniri, ne fructus recipiat, et nihilominus officium faciat. Et ideo non est simile, quod affertur, quando absque impositione pœnæ res beneficii infructuosæ fiunt, ut per se notum est. Dices: ergo est acerbior pœna suspensio a beneficio tantum, quam ab officio

et beneficio simul, quia per priorem aufertur commodum manente onere; per posteriorem vero aufertur onus simul cum commodo. Respondetur, quamvis obligatio ad faciendum officium sit onus, tamen facultas expedita et libera ad illud exercendum non est onus, sed honor, qui magnus existimatur; per suspensionem autem ab officio non obligatio tantum, sed facultas etiam aufertur eo modo, quo per Ecclesiam auferri potest, et ideo ex eo capite multum augetur illa pœna. Nec vero etiam per illam suspensionem liberatur quis omnino ab obligatione, quæ ratione sui beneficii sibi antea inerat, quamdiu idem beneficium retinet, præsertim si curatum sit, vel ad tale munus obligans, quod per alium impleri possit, nam præterquam quod tenetur ad officium canonicum recitandum, ut supra dixi, etiam tenetur curare, ut saltem per alium illud munus expleatur, et de fructibus beneficii ei provideatur, nisi superior seu Episcopus id sufficienter providerit, ut regulariter fit in suspensionibus ab ipso latis. In suspensionibus vero, quæ ipso jure incurruntur, sæpe erit necessaria ipsiusmet beneficiati cura seu sollicitudo, et ad hanc dicimus teneri ratione beneficii, quod retinet, quia non debet ob ejus culpam Ecclesia detrimentum pati.

6. *Num possit suspensus a beneficio alium substituere in officio qui de fructibus beneficii alatur.* — Sed quæret aliquis, an is, qui est suspensus a beneficio, satisfaciatur suo muneri, si alius loco illius substituatur, qui de fructibus beneficii alatur. Respondetur, si id fiat auctoritate superioris seu Episcopi, posse excusari, ut sumitur ex dicta Gloss., verb. *Beneficii*, in cap. Cupientes, de Elect., in 6; ipse tamen superior sine rationabili causa id facere non debet, præsertim quando beneficium habet curam animarum annexam, argumento cap. Inter quatuor, de Cleric. non resid. Nam cum alius teneatur, non est cur sine justa causa, et ipse eo onere liberetur, commodum quodammodo ex sua culpa reportans, et Ecclesia suo proprio pastore et ministro privetur; igitur, si rationabilis causa non intercedat, ipse compelli debet, ut personaliter inserviat, etiam sub pœna privationis beneficii, si necessarium sit, argumento cap. er venit, 4, de Appellat. An vero in sustentationem possit ei dari aliquid de fructibus beneficii, saltem ea pars, quæ alteri danda esset, si loco ipsius substitueretur, dicemus in sequentibus.

XXIII bis,

Ad quid teneatur, quamve pœnam incurrat agens contra suspensionem a beneficio.

7. Secundo principaliter sequitur ex dictis, ex genere suo graviter peccare eum, qui, cum suspensus a beneficio sit, fructus beneficii usurpat, et teneri ad restituendum illos absque alia judicis sententia. Hoc totum patet ex dictis in simili effectu excommunicationis majoris; nam idem est in re effectus, quamvis diversæ sint rationes formales. Quapropter omnia, quæ ibi diximus, hic habent locum, scilicet et peccare hunc, quia usurpat aliena, quod est contra justitiam, et ideo grave esse peccatum ex suo genere, ac propterea obligans etiam ad restitutionem, quia nemo potest juste retinere, quod suum non est, nisi per accidens excusetur ob impotentiam vel aliam gravem causam ex ibi numeratis. Quia hæc pœna non spoliatur hominem rebus suis, quarum dominium jam acquisierat, quod fieri non solet absque sententia ab homine lata; sed impedit, ne fructuum dominium acquirat, quod ipso jure absque interventu alterius sententiæ fieri solet. Quo etiam fit, ut, licet suspensio sit occulta, eadem obligationem inducat. Quia censura hæc, sicut excommunicatio, secum affert executionem, quantum ad impediendum acquisitionem domini; ex quo effectu omnis alia obligatio nascitur. Neque in hoc aliquid remissum est per Extravagant. *Ad evitanda*, tum quia ibi solum de excommunicatione agitur, non de fructuum perceptione; tum etiam quia ei, qui censura ligatus est, nullum beneficium vel privilegium per illam est concessum.

8. *Quam pœnam incurrat.* — Sed quæres, an, qui violat hanc censuram, usurpando hujusmodi fructus, in aliquam, vel censuram, vel aliam Ecclesiasticam pœnam incidat. Respondetur, in primis hunc non fieri irregularem, quod etiam supra diximus tractando de excommunicatione, et est hic eadem ratio, quia in jure non legimus irregularitatem latam in violatorem censuræ, nisi propter ministerium in divinis, a quo per censuram interdictus est; irregularitas autem, nisi in jure sit expressa, non incurritur. Propter quod etiam supra diximus, exercendo actum solius jurisdictionis contra suspensionem, non incurri irregularitatem; ergo multo minus incurretur propter fructus beneficii male usurpatos; nam minus hoc habet de Ecclesiastico ministerio. Et ita docuit Glossa recepta in Clement. 2, verb. *Suspensus*, de Vita

et honestat. clerico. Rursus neque aliam censuram vel pœnam invenio jure ipso latam propter hoc delictum: quapropter nulla incurritur ipso facto. Aliquando vero imponitur in pœnam hujus delicti privatio perpetua ipsorum beneficiorum, ut videre licet in c. 4, § ult., et in cap. Cupientes, vers. *Cæterum*, de Elect., in 6. Existimo tamen in primis illam pœnam, eo quod ibi vel alibi imponatur, non esse extendendam ad omnem suspensionem, quia ibi ex speciali causa imponitur, et est quasi aggravatio pœnæ illius delicti, neque est ullum verbum, quo significetur, talem pœnam generalem esse in omnes transgressores cujuscumque similis suspensionis. Deinde, licet ibi, præsertim in posteriori textu, dicatur *ipso jure*, existimo non incurri illam pœnam usque ad sententiam judicis saltem declaratoriam criminis, quia hoc sufficit ad vim illorum verborum in his pœnis, quas, regulariter loquendo, nemo cogitur in seipso exequi, donec condemnetur, de quo alias.

Quid nomine beneficii in hac suspensione comprehendatur.

9. *Quid de illo qui plura habet beneficia.* — Duo tamen ulterius supersunt declaranda. Primum est, quid nomine beneficii intelligendum sit. Aliud, quid nomine fructuum. Circa primum si sic suspensus a beneficio unum tantum habeat, clarum est de illo esse sermonem; si vero habeat plura, tunc oritur ambiguitas, an de omnibus id intelligendum sit. Nam videtur ita esse affirmandum, quia suspensio ab officio simpliciter lata intelligitur de omni officio; et ab Ordine, ab omni Ordine; et a jurisdictione, ab omni jurisdictione; ergo suspensio a beneficio, ab omni beneficio intelligenda est. Ratio enim militat eadem, scilicet, quod ille indefinitus terminus æquivaleret universali: tum quia est materia quasi doctrinalis seu legalis; tum propter indifferentiam, quia non posset magis determinari ad unum, quam ad aliud; tum denique quia ibi est negatio inclusa, quia suspensio habet rationem privationis; cum ergo dicitur aliquis suspendi a beneficio, perinde est, ac si diceretur, non possit fructus beneficii accipere; ergo illa negatio distribuit terminum *beneficii*, ac si dictum esset: Nullius beneficii fructus accipere possit. In contrarium vero est, quia nomen *beneficium*, singulariter prolatum, unum tantum significat in rigore; ita vero

accipiendum est, quia materia est pœnalis et odiosa. Accedit, quod majorem vim habere videtur, cum dicitur in jure, quod aliquis sit suspensus a beneficiis, quam cum dicitur a beneficio; ergo, quamvis in illa plurali locutione dicamus suspensionem fieri ab omnibus beneficiis, propter rationem factam, tamen in altera singulari solum videtur sermo esse de uno, ut a priori distinguatur.

10. *Conclusio.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Ad hoc responderi posset negando fundamentum ejus, quia in jure non invenitur talis forma suspendendi a beneficio, quin ex adjunctis constet, de quo sit sermo. Et idem servandum est in sententiis ab homine; alioqui periculum esse potest, ne censura sit nulla propter incertitudinem, argument. 1. In ambiguo, ff. de Rebus, et l. Duo sunt Titii, ff. de Testam. tutela, ut in simili cum Panormitano dixit Navarrus, cap. 27, num. 161, de hac forma: *Suspendo te ob officio vel beneficio.* Nihilominus in præsentem id dicere non possumus, quia non est locutio tam ambigua, quin possit habere definitum et usitatum sensum. Et ideo ex suppositione talis formæ, quæ nec ex verbis, nec ex circumstantiis recipit determinationem, dico esse universalem ab omni beneficio, quod reus possidet. Hoc enim probat ratio facta, quod in his rebus sermo absolutus et indefinitus æquivaleret universali. Dices, hoc esse verum in favorabilibus, non in pœnalibus; hæc enim restringenda sunt, ut sumitur ex l. 2, ff. de Liber. et posthum., et facit reg. *In pœnis*, de Reg. jur., in 6, et reg. *In obscuris*, eod., ubi dicitur, in obscuris minimum esse sequendum. Cum ergo hæc verba obscura sint, optime interpretabimur, suspensionem solum esse ab uno beneficio, scilicet minimo eorum, quæ talis persona habuerit. Respondetur hanc interpretationem videri potuisse probabilem, si illa locutio esset pure indefinita, et particularis. Quia vero virtute includit negationem, ut declaravi, licet formaliter indefinita appareat, ideo dicimus habere vim universalis etiam in materia pœnali. Unde, licet locutio nude sumpta aliquantulum sit obscura, tamen attentius inspecta satis constat non posse ad minimam coarctari. Regula autem juris intelligenda est, nisi ex adjunctis alia interpretatio sufficienter constet, ut etiam Glossa ibi animadvertit.

11. *Quorumdam determinatio dictæ suspensionis rejicitur.* — Addunt vero auctores, ex causa sumi posse interdum determinationem. Et quidam hoc metiuntur ex gravitate

culpæ; nam, si illa sit digna privatione omnium beneficiorum, ita erit intelligenda suspensio; si vero non sit adeo gravis, erit unius tantum. Sed hæc regula in superioribus rejecta est, et præterea in præsentem obstat, quia eadem ratione si beneficium sit unum tantum, tamen valde pingue et æquivalens multis, stante eadem gravitate culpæ, non deberet suspendere a toto illo, sed a parte ejus. Item, si quis possideret tria beneficia, et culpa non censeretur sufficiens ad suspensionem omnium, et alioqui suspensio ab uno solo non videretur æquivalens pœna, tunc suspensio ex vi eorumdem verborum futura esset a duobus beneficiis, atque ita per eadem verba unus suspenderetur ab uno beneficio, alius a duobus, alius a tribus, quod ridiculum est, essetque id arbitrio ipsiusmet rei judicandum; nam, si iudex non declarat, non tenetur reus alterius iudicio stare; si autem declarat, cessat dubitatio, de qua agimus.

12. *Aliorum regula ad determinationem probatur.* — Alii constituunt regulam, ut quando causa suspensionis est de se indifferens ad quamvis Ecclesiam, et omnem clericum, tunc suspensio universalis sit, quia non habet unde determinetur; si vero causa suspensionis ad specialem Ecclesiam pertineat, tunc suspensio a beneficio intelligitur esse a beneficio, quod in tali Ecclesia quis habet, vel, si plura ibi obtineat, ab omnibus illis. Quam regulam tradidit Glossa in Clement. 2, de Vita et honest. cleric., v. *Beneficiorum*, et eandem approbat Abb., in cap. Pastoralis, § Verum, de Appell., n. 20. Et necessario approbanda est quoad posterius membrum (primum enim jam satis probatum est), quia ipsum jus, seu Pontifex Summus voluit, ut pœna in hujusmodi causa lata sic limitaretur, in c. Si compromissarius, de Elect., in 6. Cum enim in Concilio Lateran., part. 4, c. 3, clerici, qui eligunt indignum, a beneficiis per triennium suspendantur, Bonifacius VIII in dicto c. interpretatur illam pœnam intelligendam esse de illis beneficiis, quæ sic peccans in illa Ecclesia obtinet, *quam taliter eligendo noscitur offendisse.* Ubi Glossa, verb. *Restringitur*, dicit necessariam fuisse in illo puncto Pontificis interpretationem, quia indefinita locutio Concilii oppositum insinuabat. Et ideo Nicolaus III, volens similem pœnam in simili causa imponere in c. Cupientes, v. *Cæterum*, de Elect., in 6, expresse addit illam restrictionem, dicens:

Omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum volumus eo ipso fore suspensos. Et simile habetur in cap. 2, vers. *Et nihilominus*, de Reb. Ecol. non alien., in 6. Unde dici posset, illam restrictionem additam esse a Bonifacio in illa speciali lege Concilii Lateran., non tamen propterea generalem regulam constituisse, ut omnis pœna in simili causa ita restricta intelligatur, etiamsi absolute lata sit. Tamen probabilius est ibi esse generalem regulam constitutam, ut in similibus causis similem pœnam cum illa restrictione intelligamus, etiamsi expresse adjecta non sit, tum quia Pontifex non solum illam legem Concilii Lateranensis, sed etiam aliam similem Concilii Lugdun., quæ habetur in cap. ult., § 4, de Elect., in 6, eodem modo interpretatus est; tum etiam quia cum restrictio pœnæ favorabilis sit, et a Pontifice tradatur, et satis insinuetur pro generali regula tradi, non est quod a nobis limitetur. Præsertim cum et jure usitatum sit, et rationi sit consentaneum, ut qui aliquam Ecclesiam in aliquo offendit, in his tantum, quæ ad illam Ecclesiam pertinent, puniatur, quia id satis esse solet ad condignam punitionem delicti, nisi aliud in sententia exprimitur.

13. *Corollarium datæ regulæ.* — Et juxta hanc regulam intelligere possumus, quoties similis ratio subintelligendi determinationem occurrerit, cum simili etiam restrictione accipiendam esse; ut, v. gr., si Canonicus, vel Episcopus sub eo nomine, quod beneficium significet, puniatur in suspensione sui beneficii, intelligi debet solum de illo beneficio, sub cujus appellatione condemnatus est, tum quia sæpe prædicata determinantur a subjectis, et in communi modo loquendi illa locutio illum sensum generare solet; tum etiam quia regulariter hujusmodi pœna videtur injungi propter injuriam, quam suæ dignitati infert qui sic deliquit; et ideo in illius fructibus specialiter puniri solet. Ad hunc igitur modum circumstantiæ aliæ expendendæ sunt, ut ex eis appareat, an de aliquo beneficio in particulari sit sermo; quia, si nullæ eant, et absoluta est locutio, universalem sensum reddit, ut diximus.

14. *Idem est suspendi a beneficio, et a beneficiis.* — Unde obiter colligo, per se loquendo, nihil referre, quod suspensio fiat a beneficio in singulari, vel a beneficiis in plurali, sicut non differret in suspensione ab